INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGELLONICA

INDE

A DIE 1 OCTOBRIS ANNI MDCCCXLVI

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXLVII

HABENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE.

Za pozwoleniem Cenzury Rządowéj.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI

UNIVERSITATIS STUDIORUM JAGELLONICAE CRACOVIENSIS

RECTOR

CUM

SENATU ACADEMICO

CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS S.

Quemadmodum ars grammatica linguas discentibus adeo est necessaria, ut nisi illam probe perceperint, vel si commodissime sermone aliquo utantur, garrientibus non loquentibus sint adnumerandi; ita juris romani firmam ac solidam cognitionem cunctis, qui jurisprudentiae dant operam, summopere expetendam esse, nemo peritus unquam negavit aut negare audebit: siquidem haec ut semper est habita, ita semper habebitur omnis doctrinae juris fundamentum; quod nisi fideliter jeceris, in legulejorum, quos vocant, de trivio, non in jurisconsultorum numero ponendus eris. Atque haec causa est, cur, ex quo felici fato literae latinae ad vitam sunt revocatae, Viri juris scientiae dediti, ingenio ac doctrina prae ceteris excellentes, omnem industriam eo conferant, ut legum et judiciorum, quae apud Romanos in usu fuere, rationem ac vim explicent, et, quoad ejus fieri possit, enucleent. Horum indefesso studio non parvo fuit subsidio detectus a Niebuhrio non multis abhinc annis et a Gösche-

nio atque Helvegio rescriptus Veronensis codex Gaji Institutionum Commentarios quatuor continens; quem post Bluhmii repetitam collationem Göschenius a. 1824 iterum edidit, et sagacissimus juris romani perscrutator Gans doctissimis scholiis instruxit (*). Quod quidem opus cuique juris doctrinam auspicanti diurna nocturnaque manu versandum satis commendare non quimus. At magnopere dolendum est, quod in palimpsestis vulgo accidit, in hoc quoque opere evenisse, ut multis locis sit mutilum, haud pauca e scripturae vestigiis erui vix queant, et passim ambiguus sensus repraesentetur; quae autem antiquitatis ad nos pervenerunt monumenta, ea ad explendos emendandosque vacuos aut corruptos locos non utique sufficiant; ut plerumque conjecturis vulnera libri sint sananda pro cujusque ingenio et sagacitate adhibitis. Qua in re praeter Bluhmium, Göschenium et Holvegium quot Viri desudarint, ex Göschenianae editionis praefatione extrema cognoscetis; quamque difficilem subierint atque etiam subituri sint laborem, librum vel obiter perlustrantibus apparebit. Nos vero Vobis vel uno exemplo ostendere conabimur.

Lib. II. § 15 Gajus de rebus mancipi agens inter alia de animalibus (quantum quidem e codice erui potuit) haec habet:

„Item . . . .
. . . .
statim ut nata sunt, mancipi esse putant, . . .
. . . . culus et alii diversae scholae auctores non aliter ea mancipi esse putant, quam si domita sint; et si propter nimiam feritatem domari non possint, tum videri mancipi esse . . . .“

(*) Göschenii editionem repetiit Varsaviae doctiss. Romualdus Hube, omissis conjecturis, sed addita commentatione de vita et scriptis Gaji.

Qui quidem locus ex Ulpiani fragmentorum l. XIX § 1, adhibito etiam Isidori Origin. l. IX § 4 (*), collatoque Gaji Com. I. § 120 sic expletur:

„Item *aliae res mancipi vocantur, eae scilicet, quae mancipari possunt, aliae nec mancipi, quae mancipationem non recipiunt. Mancipi res sunt praedia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus; item jura praediorum rusticorum, et quadrupedes, quae dorso collove domantur, velut boves, muli, equi, asini. Ceterae res nec mancipi sunt. Sed ea quidem animalia, quae domari possunt, et ideo mancipi sunt, nostri* statim, ut nata sunt, mancipi esse putant. *Nerva vero, Pro*culus, et ceteri diversae scholae auctores, non aliter ea mancipi esse putant, quam si domita sint; et si propter nimiam feritatem domari non possunt, tunc videri mancipi esse . . . . .“

Hic editores monent, cavendum esse, ne pro: „mancipi esse“ quod est in fine, legi putemus „nec mancipi esse“ aut simile; sequi enim in codice videri hujusmodi aliquid „*cum ad eam aetatem pervenerint, cujus aetatis domari solent*“ induci id posse credentes e collatione Commentarii I. § 196. Nos vero ut contra opinionem doctiss. Virorum „*nec mancipi esse*“ „*mancipi non esse*“ vel (quod simillimum veri) „*mancipi esse non posse*“ e mente Proculejanorum scriptum fuisse opinemur, his potissimum argumentis inducimur.

1) Quod id cum verbis „*non aliter ea mancipi esse putant, quam si domita sint*“ optime convenit, et ab iis omnino postulari videtur.

(*) Mancipium est, quidquid manu capi subdique potest, ut homo, equus, ovis. Haec enim animalia statim ut nata sunt, mancipium esse putantur. Nam et ea, quae in bestiarum numero sunt, *videntur* mancipium esse, quando capi sive *domari* coeperint.

2) Quod ad pubertatem, de qua § 196 agit, quo suam opinionem editores tuentur, nullo modo requiratur, ut masculus generare possit; siquidem multi reperiantur, qui, etsi spadones non sint, tamen ad procreandam prolem non sint idonei; animalia vero non aliam ob causam statim, ut nata sint, mancipi non haberi pateat, quam quod domita non sint, ideoque ut sint domita, omnino requiri.

3) Quod animalia, quae dorso collove domari solent, nemo sanus emat, si sciat aut credat domari non posse.

4) Quod ex § 68 hujus Commentarii per similitudinem id inferri posse videtur. Qui quidem sic habet: „In iis autem animalibus, quae ex consuetudine abire et redire solent, veluti columbis et apibus, item cervis, qui in silvas ire et redire solent, talem habemus regulam traditam, ut si revertendi animum habere desierint, etiam nostra esse desinant, cet.“ Nam si in ejus generis animalibus requiritur, ut revera eant redeantque; in bestiis quoque ut revera domentur, requiri debere perspicuum esse videtur.

5) Denique quod Isidorus (etsi huic minimum tribuimus), idem sensisse videtur.

Sed haec de Gajo dicta sufficiant. Nunc vero, Auditores ornatissimi, ex consuetudine veteri Vos etiam atque etiam hortamur, ut in ea studia, quibus Vos dedidistis, totis viribus incumbatis, id summopere spectantes, ut non solum doctrinae copia excellatis, sed et pietate in Deum probisque moribus commendemini. Valete.

Scr. Cracoviae die XX Mensis Septembris Anni MDCCCXLVI.

ORDO THEOLOGORUM.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P. FACULTATIS THEOLOGICAE H. T. DECANUS.

Auditoribus anni tertii Theologiam Pastoralem, Catecheticam, Didacticam, Eloquentiam sacram, simulque artem mutos surdosque a natura tractandi et instituendi sequenti ordine tradet: Semestri hyemali diebus Lunae et Martis ab hora 9--10 Theologiam Pastoralem, a 10—11 Catecheticam; diebus Veneris et Saturni ab hora 10—11 Theologiam Pastoralem, ab 11—12 Catecheticam, nec non ab hora postmeridiana 2—3 Theologiam Pastoralem duce Povondra; Semestri aestivo, iisdem horis et diebus, Eloquentiam Sacram duce Skideł, Didacticam duce Veinkopf, atque artem mutos surdosque tractandi duce Czech.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. O. P.

Historiam Ecclesiasticam et Patristicam auditoribus anni primi in utroque semestri, diebus Lunae, Mercurii et Veneris mane ab hora 10—11; post meridiem ab hora 2—3; die vero Martis, ab hora 10—12 et die Jovis ab 10—11 explanabit.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. O. P.

Institutiones dogmaticas auditoribus anni secundi diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12, duce Klüpfel; ethicas vero auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 5—6 post meridiem duce Stapf, profitebitur.

FELIX SOSNOWSKI

S. TH. D. P. P. O.

Archaeologiam et Hermeneuticam auditoribus anni primi, semestri hyemali, diebus Lunae, Veneris et Saturni ab hora 8—9 duce Ackermann et Alber; Linguam Hebraicam et Syro-chaldaicam, diebus Martis, et Mercurii ab hora 9—10 per utrumque semestre, duce Jahn et Oberleitner; semestri aestivo Exegesim SS. Librorum Veteris Foederis diebus Lunae, Veneris et Saturni ab hora 9—10, duce Calmet; Introductionem in libros Veteris et Novi Foederis, auditoribus anni secundi, semestri hyemali diebus Martis, Mercurii et Saturni ab 8—9, duce Ackermann et Alber, semestri aestivo iisdem diebus et horis Exegesim Novi Foederis, nec non semestri hyemali die Lunae ab hora 9—10 Linguam Arabicam, et semestri aestivo eadem hora et die Exegesim sublimiorem docebit.

Auditores anni primi praelectionibus Paedagogiae, anni vero secundi praelectionibus Juris Canonici interesse tenentur, secus ascensu carebunt.

ORDO JURISCONSULTORUM.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI

J. U. D. P. P. O. H. T. UNIVERS. STUD. JAGELL. CRACOVIENSIS RECTOR.

Jus civile, mercantile et processum extrajudicialem auditoribus anni tertii per utrumque semestre, diebus Lunae, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni ab hora 8—9, et diebus Lunae Mercurii et Saturni ab hora 12—1, duce Delvincourt et Locrée praeleget.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PHIL. ET J. U. D. P. P. O. FACULTATIS JURIDICAE H. T. DECANUS.

Historiam Juris Romani et Institutiones auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni ab h. 8—9 duce Bacchio et Heineccio; Jus ecclesiasticum auditoribus anni secundi per utrumque semestre, diebus Lunae, Veneris et Saturni ab h. 9—10, secundum suum opus, cui titulus: *Institutiones juris ecclesiastici* typis editum; Pandectas auditoribus anni secundi per utrumque semestre diebus Lunae ab h. 8—9; diebus vero Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10 duce Westenbergio e propriis schedis interpretabitur.

FERDINANDUS KOJSIEWICZ

J. U. D. P. P. O.

Oeconomiam politicam auditoribus primi anni per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10 duce Say et Skarbek; Jus naturae privatum, publicum et gentium auditoribus anni primi diebus Lunae, Martis et Mercurii ab h. 3—4 ducibus Zeiller et Martini; Auditoribus anni secundi per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab h. 10—11; Politiam et notitiam status rerum publicarum, juncta reditus publicos tractandi arte, ducibus Lotz, Rau et Schnabel, tradet.

LAURENTIUS SOŚWIŃSKI

J. U. D. P. P. O.

Leges fundamentales civitatis et jus criminale auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Jovis, Veneris et Saturni ab h. 3—4; auditoribus vero anni tertii processum civilem judicialem per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni ab h. 9—10 tradet.

2

ORDO MEDICORUM.

JOSEPHUS MAJER

M. ET CH. D. P. P. O. ORDINIS MEDICORUM H. T. DECANUS.

Elementa Psychologiae et Logices, deinde doctrinam Physices, illa e propriis schedis, hanc vero secundum opus Radwańscii tradet diebus Lunae et Veneris ab h. 11—12; Physiologiam, Pathologiam generalem, Therapiam generalem, tum Pharmacodynamicen et artem formulas medicas concinnandi e propriis schedis explicabit diebus Martis, Mercurii et Jovis ab h. 10—11; denique Pathologiam et Therapiam specialem e schedis suis profitebitur auditoribus Chirurgiae per utrumque semestre quotidie, exceptis diebus Saturni et Solis, h. 2—3.

JOSEPHUS BRODOWICZ

M. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Pathologiam et Therapiam specialem e propriis schedis duce Hildenbrando et Raimanno diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab h. 9—10; Praxin medicam iisdem diebus ab hora 10—11 auditores anni quarti et quinti docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. P. P. O.

Pharmaciam diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 7—8 duce Geigero; Chemiam generalem nec non practico-forensem duce Berzelio, Dumasio et Hünefeldio diebus iisdem h. 8—9 per utrumque semestre auditoribus anni primi et secundi tradet.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PH. M. ET CHIR. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Chirurgiam theoreticam generalem et specialem e propriis scriptis duce Chelio per utrumque semestre auditoribus anni tertii diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 12—1; Chirurgiam practicam auditoribus anni quarti per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni iisdem horis; praxin vero chirurgico-clinicam auditoribus anni quarti et quinti per utrumque semestre quotidie, exceptis diebus Saturni et Solis, ab h. 11—12 explicabit.

FREDERICUS SKOBEL

M. ET CH. DR. P. P. O.

Semestri hiemali auditoribus anni primi Hodegeticen medicam duce Friedlaendero diebus Martis et Jovis pomeridie ab h. 2—4 tradet; auditoribus vero anni tertii primo Pathologiam generalem et Semioticen praeeunte Alberte, dein Hygienen e propriis schedis profitebitur, et quidem mane quotidie, exceptis diebus Saturni et Solis ab h. 8—9, pomeridie vero diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 3—4. — Per semestre aestivum auditoribus anni tertii quotidie, exceptis itidem diebus Saturni et Solis, iisdem horis matutinis et pomeridianis explicabit Pharmacodynamicen et Toxicologiam duce Oesterleno; artem formulas medicas concinnandi duce Phoebo, denique Therapiae generalis praecepta e propriis tradet schedis.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam duce Boekio Auditoribus anni primi ab h. 9—10, Physiologiam duce Müllero auditoribus anni secundi ab h. 11—12 per utrumque semestre quotidie, exceptis diebus Saturni et Solis, profi-

tebitur.—Exercitationes anatomico-practicae instituentur semestri hiemali iisdem diebus ab h. 10—11 et 2—3.

FRIDERICUS HECHELL

M. ET CHIR. D. P. P. O.

Medicinam forensem praeeuntibus Henkio, Berntio, et Orfila semestri hiemali; Zoagriam et Politiam medicam ducibus P. Frankio, Berntio et Nicolaio semestri aestivo exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. 7—8; Historiam Medicinae e propriis scriptis ducibus Sprengelio, Heckero et Isenseo, per utrumque semestre tradet iisdem diebus ab h. 12—1.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CHIR. DR. P. P. O.

Theoriam artis obstetriciae semestri hiemali auditoribus anni tertii, semestri aestivo feminis artem obstetriciam discentibus diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10 ducibus Froriepo et Caro explicabit; doctrinam de morbis feminarum praeeunte Joergio; dein doctrinam de morbis infantum ducibus Henkio et Wendtio diebus Martis et Veneris ab h. 8—9; denique Praxin artis obstetriciae auditores anni quinti, nec non feminas arti obstetriciae vacantes diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni iisdem horis docebit.

IGNATIUS CZERWIAKOWSKI

M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Historiam naturalem universalem auditoribus Philosophiae anni secundi per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 10—11; Mineralogiam et Zoologiam auditoribus Medicinae anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mer-

curii, Jovis et Veneris h. 11—12, duce Berzelio, Leonhardo et Okeno; Botanicam generalem et specialem duce Richardo et Winklero, semestri aestivo iisdem diebus ab h. 6—7 explanabit.

LAURENTIUS DOMAŃSKI

M. ET CH. DR.

Medicinam veterinariam theoreticam et practicam quotidie, exceptis diebus Solis, per binas horas ducibus Gurltio, Haynio et Schwabio docebit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PHIL. D. P. P. O. FACULTATIS PHILOSOPHICAE H. T. DECANUS.

Octies per hebdomadem tradet literas latinas et polonicas: auditoribus anni secundi diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni hora matut. 8—9; auditoribus anni primi iisdem diebus semestri hiberno hora 9—10, semestri aestivo hora 7—8. Et polonicas quidem literas exponet e suis schedis; historiam liter. latin. ducibus Mathiae, Passow et Bähr; antiquitates Romanorum ratione ac via a Creuzero monstrata.

Idem aestivo tempore binis per hebdomadem horis postea designandis praecepta styli cultioris extra ordinem cupientibus exponet.

JOSEPHUS JANKOWSKI

PHIL. ET J. U. D. P. P. O.

Psychologiam et Logicam auditoribus anni 1mi semest. hyem. diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 8—9,

Ethicam auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 8—9, die vero Saturni 9—10.

Historiam philosophiae auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 9—10 tradet.

MAXIMILIANUS WEISSE

PHIL. ET J. U. D. P. P. O. OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Mathesin sublimiorem auditoribus anni 2di diebus Martis, Jovis et Saturni, ab hora 11—12 duce Burg, Ettinghausen et Poisson tradet.

Astronomiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 11—12, duce Santini et Littrow docebit.

MICHAËL WISZNIEWSKI

PHIL. D. P. P. O.

Historiam universalem auditoribus anni 1mi diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 11—12; auditoribus vero anni 2di diebus Martis, Jovis et Saturni ab h. 11—12; Historiam literariam universalem duce Wachler, auditoribus quibuscunque per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab h. 3—4 tradet.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PHIL. D. BIBLIOGRAPHIAE P. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 2—3 profitebitur.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam physices auditoribus anni 2di semestri hiberno diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 9—10 et ab h. 11—12;

praeterea die Martis ab h. 2—4 et die Jovis ab h. 2—3; semestri vero aestivo quotidie ab hora 7—8 matut. et praeterea die Lunae, Mercurii et Veneris h. 9—10 exponet.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PHIL. D. MATH. ELEM. P. P. O.

Tradet Arithmeticam, Algebram, Geometriam, Stereometriam, Trigonometriam et Sectiones conicas, semetri hiberno diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni h. 10—11, diebus vero Martis et Jovis hora 9—11; et insuper die Lunae hora 3—4 pom.; semestri autem aestivo diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 9—11, diebus vero Martis, Jovis et Saturni h. 9—10.

Professores supplentes exponent:

Doctrinam religionis auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Mercurii et Saturni ab h. 3—4; auditoribus vero anni secundi diebus Lunae et Veneris ab h. 3—4 duce Frint;

Paedagogiam per utrumque semestre diebus Veneris et Saturni ab h. 4—5, duce Milde;

Linguam graecam per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii ab h. 4—5.

Adjuncti Professorum Facultatis medicae et philosophicae:

Joannes Cantius Rzesiński Ph. et J. U. D. Adjunctus Bibliothecarii.

Adj. Direct. Observatorii vacat. Officia interim praestat Ignatius Gralewski Philos. Candid.

Adj. Directoris instituti medico-clinici Mich. Zieleniewski D. Med. et Chir.

Josephus Jaszczurowski M. D. Adj. Directoris instit. chirurgico-clinici.

Vladislaus Tyrchowski M. et Ch. D. Adj. Professoris artis obstetriciae.
Ludovicus Sadkowski M. D. Adj. Prof. Anatomiae.
Josephus Riedmüller M. D. Adj. Professoris historiae naturalis.
Teophilus Wojciechowski Mag. Phar. Adj. Prof. Chem. et Pharmac.
Adj. Prof. Physices vacat.

Linguas docebunt:

Germanicam Augustus Otremba per utrumque semestre quotidie h. 5—6 pomer.
Gallicam Franciscus Aubertin hora 6—7.
Rossicam Hieronymus Mecherzyński hora 2—3.

Lectorium in bibliotheca publica Universitatis semestri hiemali quotidie, exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12 et 3—6;— Observatorium Astronomicum horis 3—6, diebus Jovis et Solis;— Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12; Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12: Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab hora 1—4 tempore hiemali, aestivo vero ab h. 3—6;— Hortus botanicus quotidie, Museum anatomicum die Saturni ab h. 11—12, patebunt. Hospitibus vero extraneis, qui Musea, Bibliothecam et Observatorium invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.